

Provincia Rector Ecclesiae de Cartoxio, Laurentius Rector Ecclesiae de Castronovo Incisae, Antonius Rector Ecclesiae Trixobii, Archipresbyter de Molariis, Praepositus de Bubio, Frater Petrus Rector Ecclesiae S. Laurentii de Caxino, Presbyter Joannes de Castelletto vallis Uzonii, Frater Albertus Rector Ecclesiae de Carpeneto, Presbyter Rector Ecclesiae Turris Uxoni, Frater Jacob de Novaria Rector Ecclesiae de Vallibus, Archipresbyter de Nicia, Presbyter Bonifacius Rector S. Hyppoliti de Nicia, Frater Jacob Rector Ecclesiae S. Leonardi de Canellis, Praepositus de Canellis, Frater Blaxius Rector Ecclesiae de Ponzono, Presbyter Fredericus Canonicus Aquensis, Presbyter Jacobus Ligerius Canonicus Aquensis, Joannes Zucha Canonicus Aquensis, Presbyter Albertus de Peceto Canonicus Aquensis, Presbyter Dominicus Rector Ecclesiae Gorrini, Frater Joanninus Rector Ecclesiae de Cremorino, Presbyter Joannes Zucha Rector Ecclesiae de Vixono, Presbyter Albertus de Peceto Rector Ecclesiae de Tercio, Archipresbyter de Dego, Frater Martinus Rector S. Antonii de Montebartio, Presbyter Benedictus Rector Ecclesiae de Bruno, Archipresbyter de Pareto, Presbyter Lucas Rector Ecclesiae de Ricaldono, Archipresbyter Veximarum.

*Sententia Bonifacii Episcopi pro decimis sanctae Juliae, & Niosae.*

368

MCCCCXXXIV.

In nomine Domini amen. Cum alias apud nos Bonifacium Dei gratia Episcopum Aquensem, & Comitem instantibus nobilibus viris Joanne, & Aleramo de Carreto condominium locorum S. Juliae, & Niosae, Aquensis diocesis, & petentibus, ut eos de decimis, & primitiis locorum ipsorum investire in omnibus, & per omnia, prout, & sicut eorum praedecessores investitos fuisse constabat per quondam recolenda memoria Rev. P., & D. D. Guidonem Dei gratia, dum vivebat, Aquensem Episcopum, & mediatum praedecessorem nostrum, instantque etiam apud nos certi homines ipsorum locorum pro parte communitatum, & hominum locorum eorundem, atque peterent, ut solutionem, ac receptionem decimarum ipsarum limitare, modificare, atque extenuare, seu diminuere dignaremur tam quoad nobiles antedictos recipientes, eorumque legitimos successores futuros, ita ut attentis multiplicibus eorum gravaminibus, atque locorum aliorum Aquensis diocesis generalibus consuetudinibus, secundum quas nulli, vel pauci, quoad solutionem ipsarum decimarum, & primitiarum arctantur tam ardue, five stricte, prout & sicut homines ipsorum locorum praedictorum in praeteritum constabat esse adstrictos, secundum quod asseriebant ipsi praefati homines antedicti. Nosque ipsorum nobilium petitionem audientes, ita ipsorum nobilium duxerimus requisitionibus annuendum, ut tamen supplicationes praefatorum hominum nullatenus in toto duxerimus negligendas, atque antequam nobiles ipsos de praefatis decimis, & primitiis investire duxerimus, reservavimus nobis potestatem super solutione, & receptione ipsarum decimarum, atque primitiarum

dicendi, limitandi, moderandi, atque minuendi, five taxandi praesentibus pluribus testibus, & praecipue ipsis, qui in instrumento concessionis per nos investiturae factae de praedictis sunt descripti, five subscripti; de praesentique per praefatos homines pluribus testibus fuerimus requisiti, ut quidquid in praedictis, & circa volumus dicere, limitare, minuire, five moderari, quoad receptionem, & solutionem ipsarum decimarum, & primitiarum id facere dignaremur. Ecce quod nos Bonifacius Episcopus antedictus requisitis, & monitis ambabus partibus antedictis pro infra scriptis, & ad infra scripta audienda per hanc nostram sententiam pronuntiationem, seu determinationem, five declarationem, quam in his scriptis sedentes facimus, & promulgamus Christi nomine, ejusque gloriosae Matris Virginis, & Sanctorum omnium gloriosis nominibus invocatis Deum ipsum habentes tantum praeculis, & in mente dicimus, sententiamus, judicamus, decernimus, & declaramus, ut infra. Videlicet quia dicimus, sententiamus, judicamus, decernimus, & declaramus, quatenus ipsi praefati nobiles Domini Joannes, & Aleramus, tamquam viri justii, & fideles, & legitimi feudatarii Ecclesiae Aquensis occasione investiturae per nos ipsos concessae (1) de decimis, & primitiis locorum antedictorum nomine ipsius Aquensis Ecclesiae possint, & valeant exigere, petere, atque recipere ab hominibus, & incolis, atque cultoribus locorum praedictorum decimas, primitias grani, vini, & ceterorum victualium, atque bestiarum pro tribus partibus sibi debitis, atque quartam simul concernentem parochialem sacerdotem, cui recolectam habent, debent, atque tenentur persolvere, prout infra. Videlicet quia dicimus, sententiamus, judicamus, ut de omnibus, & singulis fructibus, five frugibus, atque satis, & recolectis terrarum, five possessionum de quibus, & pro quibus consueverunt illi nobiles exigere, petere, atque recipere nominibus suis, & Ecclesiae parochialis, cui debetur quarta pars, decimam partem, five decimam mensuram grani, seu quorumvis victualium aliorum abrassorum, five ut loci utamur vocabulo ad rassum, retinentibus sibi hominibus ipsis novem partes, seu novem praecedentes mensuras coagulatas, vel secundum vocabuli usum ad culmum de talibus fructibus, frugibus, seu victualibus teneantur, & debeant ipsi homines, five incolae locorum praedictorum solvere, dare, & tradere pro decima, & loco decimae sextam decimam mensuram, five partem sextam decimam ipsis nobilibus, quas omnes mensuras judicamus, decernimus, & declaramus esse reddendas, five super tonendas eisdem modis, & formis, nisi aliud de partium consensu processerit, declarantes, judicantes, atque decernentes, ut ipsi homines, & incolae praefatorum locorum de praedictis fructibus, & victualibus integraliter solvere teneantur, & solvant, ita ut tam de granis, quam solamis, atque lignis, five granciis, ut eorum utamur vocabulis solvere teneantur. De illis autem fructibus, & frugibus, five victualibus terrarum de quibus, & pro quibus consueverunt ipsi praefati homines incolae locorum praedictorum tradere, atque persolvere pro decima, &